

No. 307. 1292. 9. Nov.

B. Withego beurkundet, dass in den Kauf von Geld- und Getreidezinsen, die er unter Vorbehalt des Rückkaufs binnen Jahresfrist an einen Meissner Bürger verkauft, das Capitel eingetreten sei.

In nomine domini amen. Nos Withego dei gratia Misnensis episcopus recognoscimus et tenore praesentium profitemur, quod accedente unamini consensu capituli nostri pro solutione debitorum nostrorum contractorum apud Tizconem Wluerici civem Misnensem pro nostra et familiae nostrae necessitate et indigentia in villa Byzcopize^{a)} tria maldra tritici, insuper quatuor talenta et quatuor solidos Fribergensium denariorum dicto Tyzconi suisque heredibus pro septuaginta duabus marcis titulo pheodali vendidimus perpetuo possidenda, quorum duo talenta et duo solidi debentur in festo sancti Michaelis, triticum vero in festo sancti Martini, reliqua duo talenta et duo solidi in festo Walpurgis annis singulis debebuntur, adiecta conditione, si infra annum a tempore venditionis videlicet usque ad festum sancti Martini dictum debitum solveremus, dictos redditus recipemus, sin autem, ex tunc idem in crastino sancti Martini bona ipsa cum dictis redditibus ad praefatum Tyzconem et suos heredes iure transeant pheodali. Dicto festo veniente nec valentibus nobis praelibata bona reemere, decanus et capitulum Misnense una nobiscum dolentes antiquae possessionis alienationem cum dispendio rerum suarum, ipsa bona pro septuaginta duabus marcis paratae pecuniae ponderis Misnensis et argenti a nobis purae emptionis et venditionis titulo compararunt, saepedicto creditori nostro dictam pecuniam integraliter persolventes. Nos vero tutoris nostri praesentis consensu accedente Henrici de Swein archidiaconi Nisicensis proprietatem bonorum praemissorum cum omni iudicio minorum causarum necnon cum omni iure, quod nobis competebat in censu iam praedicto, capitulo Misnensi dedimus perpetuo possidendam, nihil iuris nobis et nostris successoribus in antea reservantes, excepto tantummodo eo solo, quod iudicium maiorum causarum totius villae iam dictae ad nos et ad nostros successores, sicut hactenus pertinuit, amplius pertinebit. Ipsum quoque capitulum ex mera liberalitate potestatem nobis vel successori nostro dedit, bona ipsa infra unius anni spatium pro tanta pecunia reemendi, ut census illius anni, qui Michaelis et Martini debetur, in bonis maneat, usque dum liqueat an reemerimus et solverimus, an apud capitulum maneat memoratum. Ut autem haec firma permaneant nec aliqua super ipsis in posterum suscitetur quaestio nocitura, praesentem paginam desuper conscriptam saepedicto capitulo Misnensi dedimus, nostri et tutoris nostri supradicti sigillorum appensionibus communitam. Actum et datum Misnae anno domini M°.CC°.LXXX°.II°. proxima dominica ante Martini, pontificatus nostri anno vicesimo sexto.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den an Pergamentstreifen hängenden Siegeln des Bischofs und Heinrichs von ‚Sweime‘.

a) Piskowitz, Par. Taubenheim.